

**Disputatio physiologica de subactione alimentorum in ventriculo, von
veroduung der Speisen / [Christian Friedrich Stever].**

Contributors

Stever, Christian Friedrich.
Detharding, Georg, 1671-1747.
Universität Rostock.

Publication/Creation

Rostock : N. Schwiger, 1717.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/grn4zmtn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO PHYSIOLOGICA
DE
SUBACTIONE ALIMENTORUM
IN VENTRICULO,
Bon Verdauung der Speisen /
QVAM
ADSISTENTE DEI GRATIA
SUB PRÆSIDIO
GEORGII DETHAR-
DINGII,
MEDICINÆ DOCTORIS ET PROF. PUBL. ORD.
ACAD. NATUR. CURIOSORUM COLLEGÆ
CELEBERRIMI,
PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI SUMMO-
PERE VENERANDI,
IN ALMA ROSTOCHIENSI
Publico Examini
subjicit
CHRISTIANUS FRIDERICUS
STEVER, Rostoch.
MED. STUD.
Ad Diem XXIV. April. MDCCXVII.
ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIGEROVI, Ampl. Sen. Typogr.

VIR O
MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMO, AM-
PLISSIMO ac CONSULTISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO
MICHAELI
STEVERO,
Consuli Rostochiensi Seniori gravif-
simo meritissimoqve
PARENTI SUO
OPTIMO
ad cineres usqve devenerando,

Has Studiorum suorum Academicorum primitias devota filia-
lique observantia offert, dicatqve

Filius Obsequiosissimus
CHRISTIANUS FRIDERICUS STEVER,
Respondens.



PRÆFAMEN



Vandoqvidem ea est Intellectus
Humani conditio, ut haud undi-
que valeat vel intimiores rerum
affectiones clare perspicere , vel
motuum infinitos modos distin-
ctè comprehendere , vel horum
diversa producta citra hæsitation-
em nosse ; non damnandum est
subsidiū quod suggestit Comparatio actionis magis per-
spicuæ cum alia minus cognita : motus qvi ante oculos
versatur cum hoc qvi in abscondito fit : producti magis
simplicis, cum alio magis composito. Ast ! meritò do-
lendum , quod abhinc Discentes æqvè ac Docentes hæ-
serint magis circa comparationes tales ulterius explican-
das vel poliendas, quam ut inde excitati se dimiserint in
ipsius vel rei vel producti solidam notitiam. Adeo certe
in sequelis his sibi placuerunt Viri cœteroqvin non indo-
eti , ut , non obstante Philosophorum canone : *Simile*
non esse extendendum ultra suum tertium; item : *Similia*
non probare sed illustrare ; spretis primis comparatio-

A

num

num rudimentis, consecaria fuerint deamata, servata, & pro primis Demonstrationibus habita. Habent omnes scientiæ ut sibi Hercules pro istis Augiæ stabulis conductant. Nec vero crediderimus quempiam negaturum fore, quin inter placita Medicorum sint exempla talis μεταβάσεως. Attendamus modo ad natales opinionum de *Flammula Vitali*, de *Biolychnio in corde*, de *Fuligini-bus sub exspiratione evolantibus*, de *usu Pulmonum Ventilatorio*, &c. non aliæ sunt ac qvod Veteres, dum explicare voluerunt Vitam hominis consistere in svavi sanguinis motu cui cor subveniat calor vero admodum favet, freqventer adhibuerint *Calidi* vocabulum, & bujus *sedem* dixerint in *Corde* esse.

Non aliunde est qvod Anima fuerit in tot Facultates discerpta, & in libris Physico-Medicorum undiqvaqve resonent *Facultas Vitalis*, *Animalis*, *Retentrix*, *Expultrix*, *Concoctrix*, *Attractrix*, &c. ac qvod Antiquiores explicando imperium Animæ in corpus & hujus motus vitam concernentes freqventer sint usi voce Δυνάμεως vel *Facultatis*. Idem judicium ferendum est de Hypothesi *Spirituum* in corpore, qvod *hi nunc partibus insint, nunc in partes fluant*; quod sint vel *Naturales*, vel *Vitales*, vel *Animales*; qvod *alii sensui, alii motui, inserviant*; quod sint *indolis æthereæ, essentiæ agilissimæ, naturæ igneæ* &c. qvandoqvidem Philosophi contendentes commercium animæ cum corpore explicare, dixerunt illud fieri *modo spirituali*, id est, incomprehensibili. Observare præterea licet talismodi comparationis extensionem in Termino *Cocitionis*, qvâ olim voluerunt comminutionem ciborum in ventriculo delineare. Exclusi enim simplex hæc propositio varias opiniones, quales sunt

PRÆFAMEN.

;

sunt, fieri Chylosin per elixationem; ventriculum pollere eximio calore; rugosâ ejus substantiâ melius calorem contineri; quo calor ille constaret, ventriculum, cœu ollam igne, circum circa visceribus, calidum seu ignem spirantibus, esse stipatum; in febribus nimium calorem adurere magis quam concoquere cibos; calorem in Senibus esse debiliorem, binc in his minus valere Chylosin; potum magis reficere qvam cibos, quia omne humidum calore accedente aërescat, in vapores resolvatur & sic citius distribuatur per corpus, &c. Non difficile foret ex modo allatis porro deducere, qvod istæ παρέκβασες fuerint, ac hodienum adhuc sint fontes tot dissensuum, tot controversiarum, tot contentionum, queis libri Philosophorum & Medicorum scatent, si vel præsens scopus hoc vellet, vel nostris curis opprobria, de dissensu Doctorum inde nata, tolli possent. Placuit vero præmittere ista, non modo ut indicemus, latere ut plurimum sub cumulis variarum opinionum conceptum qvendam simplicem, qvi innocens satis sit si non satis perspicuus, ac vel maxime, dum hujus Disputationis scopus est faciliorem afferre conceptum de modo Chylificationis, qvod fiat ad modum *Subactionis*, ne qvis nobis invitis Comparisonem hanc ultra suum tertium extendat, sed nobiscum contentus sit, si quando hæc comparatio qvandam, eandemque majorem, præ haec tenus receptis, in scientia Medica promittat non modò, sed & afferat utilitatem. *Qui* vero Arbitrè est omnium nostrarum actionum, Is & has nostras curas suâ gratiâ dirigat, ut Ægrorum salus facilitetur.



CAPUT I.

De

Ventriculi Situ & Structura.

S. I.



Vamvis Onomatologia fere exulet hodie, monendum tamen duximus, vocem *Substationis* in hoc sensu à nobis sumi, quo denotat Actionem illam jugem quâ fluida cum solidis tamdiu teruntur, atteruntur ac commiscentur, donec in massam plus minus fluidam & ad sensum homogeneam coeant. Indicat hunc sensum, à quo descendit verbum, subigere, quod Germani vertunt *pneten* / Græci vero reddunt per *διαμάστειν*. Nec reticendam judicavimus injuriam factam visceri tam industrio, & alimentorum solenni receptaculo, ceu Ventriculus est, dum, quod tamen partibus Corporis longe quoad utilitatem ipso inferioribus obtigit, illi nec nomen quoddam datum proprium, nec suâ functione dignum. Si *Hippocratis* scripta confillas, Hic communi voce *κοιλίας* Ventriculum comprehendit, qvæ tamen vox generatim cavitatem innuit profundius paulo locatam: imo quâ idem Autor modo Thoracem, modo Abdomen, modo tractum Intestinorum, modo Alvi quisquilias compellavit, ceu apud ejus Interpretes videre est. Eandem Amphiboliam affert vocabulum *γασέρ*, quo *Galenus* usus est. Nec enim hoc titulo nisi generaliter cavitas abdominalis fuit intellecta, aut in specialiori sensu Uterum simul, seu fetus receptaculum, inclusit. Si quis regerat nomen *σοφαχτὸν* ventriculo datum fuisse, notissimum est, hoc per metaphoram tantum fuisse Illi impositum, quoniam idem vocabulum quocunque collum angustum instar Isthmi cavitati cuidam præpositum denotat, & abhinc eodem jure isthmo uteri, quem cervicem

cervicem uteri hodie dicimus, ab eodem Autore fuit datum. Est quoque abhinc quod perquam multi sint, qui Stomachum vocant finem Oesophagi, ubi in amplam cavitatem expanditur, quem locum hodie Anatomici vocant orificium superius. Quod apud Latinos memoratum viscus haud meliora habuerit fata, colligere vel hinc est, dum illi satis ceteroquin capaci & largo, tantum diminutivum vocabulum fuit concessum, & insuper tale quod ad alias cavitates longe minores imo minimas in corpore obvias parili jure spectat & illas indicat. Germanis demum placuit Ventriculum proprio nomine condecorare & dicere den Magen / ubi unicuique liberum relinquimus an hanc appellationem à verbo vermōgen / i. e. valere vel ab antiquo illo & in terris Saxoniz Inferioris adhuc usitato vocabulo māgen / i. e. appetere, derivare velit.

§. II. Quam iniqui vero Doctores videri possint in appellatione Ventriculi, tam liberalem se præsttit Creator, cum unicum sufficere homini voluerit, ut ipsi assignaverit locum in cavo superiori abdominis, sinistram versus ; perquam enim facile Cibi, quos Os ministrat, illi possunt tradi, aut si cubi noxii fuerint, per eandem Viam remitti. Nec adeo remotus est ab exclusione contentorum, quæ in canalem intestinorum ablegat, quin hæc vel in via adhuc ulterius præparari, vel nobiliori parte alibi secedente, sub forma Scybalorum excludi possint. Justus ergo & officio hujus visceris tam commodus est situs, ut nullibi in corpore locum commodiorem offendere liceat. Accedit præterea quod ipsi substernatur Pancreas ; molliter illum defuper tangat Diaphragma ; a sinistro excipiat Lien ; a dextro foveat Hepar ; fundum ejus fulciat Colon. Tanta enim connexio & tam svavis compositio inter hæc viscera est, ut si quando vacuus Ventriculus, Illa Hunc inter se recondant ; sin vero distentus sit, svaviter resistat & pressionem sibi factam blanda compressione, quo in respirationis negotium subvenit, vindicent.

§. III. Substantiam Ventriculi quod attinet, Veteribus facile condonare possumus, qvod illam habuerint pro

membranosa ; dum Anatomia tunc quidem Encheires illas ignoravit, qvæ hodie sunt notissimæ. Nec ergo hodie quis dubitat varias Tunicas Ventriculum componere. *Exterior* præter quod involucri & vestis loco reliquis sit, sua glabritie & lævitatem motum facilitat & compressionem moderat à vicinis partibus familiarem ; nec tamen omnimodo ab omni motitatione excludenda est. Quæ hanc excipit *carnosa* vulgo dicitur, quod fibris omnino carneis scatet : sed rectius *musculosa* vocatur, tam densa est series fibrarum sibi impositarum & tam sufficiens ad contractionem necessariam absolvendam. De situ equidem & tractu harum fibrarum lis adhuc viget, an triplex sit fibrarum carnearum series statuenda, circularium, longitudinalium, & obliquarum ? an vero duplex ordo fibras illas contineat ? Hoc tamen manet evictum, fibrarum illarum alias ab uno orificio decurrere ad alterum, quasdam sursum, quasdam deorsum ferri, nonnullas oblique magis à summitate ad fundum repere, reliqvas contrarium situm tenere, quo undique sufficient in motu ventriculi pro arbitrio Animæ determinando. *Tertia* Tunicarum, ex fato magis quam jure suo, titulum obtinuit tunicae nervæ ; tota quanta enim se *tendineam* esse & recipere fibras carnosas tunicam musculosam componentes Avtopsia roborat. Imo, approximatio hæc ipsa fibrarum reddit hanc tunicam firmiorem, & contactu, remoto suo velamento, duriorem. Singularis quoque convolutio est in hac tunica conspicua ; rugas quippe refert plurimas, non in convexo sed in concavo pariete conspicuas, irregulari modo in plicas compactas, sed ut binis lateribus ventriculi se tangentibus prominentiæ rugarum in uno latere, cavitates inter plicas alterius lateris possint explere. In ruminantibus Animalibus magis adhuc eadem aspera est & inæqualis, quasi cellulis ceu favis plurimis distincta. Quod tandem *Substantiam* illam *villosum* attinet, quam Veteres habuerunt pro lanagine, quæ Ventriculi internam superficiem ab injuriis contentorum defendat, facilis separatio à tunica præcedente fecit, ut inter tunicas hæc quoque fuerit relata, & quod villis ipfis glan-

glandulæ diversæ figuræ & molis sint interspersæ, vocata tunica glandulosa.

§. IV. Facies Ventriculi externa, qvalis sit, nulla lis est. Quamvis enim nonnulli maluerint illam comparare cum Tibia Utriculari, alii cum Retorta tubulata, &c. Omnes tamen eō perduxit globositas, in quam ex angustiori tubulo qui Oesophagus est, in canalem denuo arctiorem, id est, Duodenum, desinit. Quodsi Ventriculus sibi relictus & in primis vacuus fuerit, latera ejus sibi amice incumbunt, & planum situm habent; licet tunc quoq; externo contactu offendere quam rugosa interna facies & quam lubrica illa latera.

§. V. Magnitudinem, indeve oriundam capacitatem, non qvis facile determinaverit. Præter individualem differentiam, quæ hic observatur, in vivis hominibus illam observare non licet, in demortuis vero collapsus tunicarum illius mensuram variat. Quæ vel ab oris capacitatem, vel ex spatio à scrobiculo cordis ad umbilicum longiori ac faciei & pectoris, vel a sexus differentia, vel à statura corporis diversa &c. peti solent conjecturæ, nil solidi in se continent, sed produnt curiositatem Philosophantium. Monuisse sufficit extendi hoc viscus aliquando, in Bibacibus præfertim non æque Comedonibus, ad stupendam molem; ceu itidem, quod ex inedia protracta, in arctius solito spatium fuerit redactum, observationes Medicæ habent. Vix tamen unquam tantæ extensionis fuit repertum, ut penitus rugæ internæ perierint, quamvis fuerint numero pauciores, vel minus conspicuæ.

§. VI. Unicum ergo Ventriculus corpus est; Ast quia circa binas suas extremitates patulum, quo alimenta accipere & hæc iterum, peracta metamorphosi, dimittere possit, placuit Scriptoribus ostia hæc dicere *Orificia*, item diversis ac propriis nominibus illa distingvere. Quod ex illis Alimenta desuper manantia admittit, vel hoc sensu Superioris nomen retinet, quamvis situ altero non prævaleat. Accepit quoque nomen Stomachi, de quo superius dictum. Quâ ratione Cor audiat, & quiinde dolores hunc locum occupantes venire possint voce

Cardi-

Cardialgiæ, non æque patet. Magis impingunt qui locum ipsi assignant sub regione cartilaginis Ensiformis, quam ceteroquin Scrobiculum Cordis, quia Cordi substernitur, hinc nostratis die Herz-Grube vocari notissimum est. Præter enim quod Hepar protensum ipsum Ventriculum, multo magis hoc Orificium, ab hac vicinia excludat, perforat Oesophagus, cuius terminus Stomachus est, Septi musculum inferiorem, prope undecimam thoracis Vertebram, id est prope dorsum. Magnus vero inter spinam & cartilagineum memoratam hiatus est. An Hi, qui a cruciatibus gravioribus & analogis pathematis, quæ, læso corde, observantur, si quando hoc Orificium afficitur, appellationis connexionem & nominis impositiōnem penitus determinaverint? vel hinc posset dubitari quod cor pericardio inclusum quoad locum, quo diaphragmati connectitur, non tam longe à situ hujus orificii distet, facilius ergo onomatologia à vicinia posset peti: præsertim quod doles cordis & cardialgia multum inter se differunt: quamvis concesserimus in hoc imprimis loco Sensationis, quæ ventriculo est, tribunal constitutum esse. Alterum Ostiorum protractum magis, ut hinc antrum etiam quoddam esse non nulli moneant, ab officio Janitoris, (hic quippe hospites dimittere solet,) item Pylori titulum accepit & simul, quia ex Ventriculo quæ proveniunt in duodenum descendunt, Inferioris vocabulum hodie adhuc obtinet. Ventriculo existente vacuo, minoris adeo ambitus est, ut clausum esse dixeris; Ast quam patere possit, colligere est ex annulis, nummis, lapillis, serpentibus &c. transcurrentibus, de quibus Observationes Medicæ videri possunt. Compositio illa naturalis simulat musculum quendam adesse, dum densitatem quandam format.

§. VII. Ceu talis est structura partium Ventriculum componentium, ita, ne fluidis careat hoc viscus, partim curant Arteriæ Cœliacæ propagines, partim rivuli glandularum Ventriculum stipantium, ac vel maxime bibula illa vel villosa substantia glandulis perfusa. De abundantia vero illorum prospiciunt Venæ Gastricæ, quæ sanguinem hac vice superfluum

fluum partim Mesenterico Ramo , & quidem qvæ illarum à dextra parte veniunt ; partim Ramo Splenico, quo sinistræ pertinent , tradunt. Insuper Vasa Lymphatica lympham & in hoc loco à reliquo sanguine separata m, Receptaculo chyli, quatenus quidem huc usque constat , infundunt. Quæ vero liquida in cavo continentur , sensim in Intestinorum canalem ablegantur.

CAPUT II.

*Exponit simplicem Historiam Dissoluti-
onis Alimentorum in Ventriculo.*

§. I.



Ndefessus ac in salutem corporis humani necessarius humorum transitus per partes plus minus solidas reddit & fluida ipsa tandem vappida , & partibus carnosis ipsis detrahit. Dum vero aliter esse nequit quin inutilia ista extra pomæria corporis, pro varia sua conditione, per varias vias ejiciantur, si corpus manere debet salvum ; provide prospexit Stator generis Humani, ut Alimenti ex Regno vegetabili præsertim petendis, defectus tales suppleantur, corporis collapsus præcaveatur & Homo præfixum sibi vitæ terminum suaviter attingere valeat.

§. II. Non diffitemur , si intentionem hanc generatim consideremus , quo illa obtineat , id est , quo homo nutriatur , undique in Corpore Organa esse collocata. Ast parili fiducia affirmamus , soli ventriculo tribuendum esse titulum hujus Visceris quod δεωρηνῶς disponat de alimentis ; ita ut hoc valente reliquorum sociorum defectus facile emendentur , sed illo in munere suo deficiente , nec hi omnes , nec singuli , nutritioni pares sint. Inducimur vero eo magis ut hoc statuamus , qvan-

10 CAP. II. DE HISTORIA DISSOLUTIONIS

do non sufficit ut humores ad nutriendum sint jamdum in alieno corpore præparati : sed necessarium est, ut proprius Ventriculus illis imperet & in illos agat, id quod in actu nutritionis Infantum cum lacte in aprico est.

§. III. Prærogativam hanc firmat insuper Sensatio tam acuta quæ Ventriculo est, præ omnibus Visceribus in toto corpore. Fuit quoque commode illi concessa, ceu in quo obtinere debet intimior alimentorum dissolutio & talis præparatio ut illis cum corpore in hujus sustentationem conveniat. Examen ergo hic fit rigorosum, an illa convenient & congruant an minus? si illud, ut porro elaborentur in finem destinatum; si hoc, ut vel protinus per Oesophagum, per quem intrarunt excludantur, quod obtinet ab assumptis valde noxiis, vel mole peccantibus; aut Intestinis ad excludendum tradantur, quod in his, quæ non tantæ activitatis, observare est.

§. IV. Traduntur autem ex lege Naturæ, Alimenta nutritioni destinata, Ventriculo, quando vel manuum opera jam comminuta, vel in ore divisa, distracta, contrita, verbo: quando superficiem majorem obtinuerunt. In hunc finem sunt Maxillæ & hæ Dentibus insuper instructæ; item Lingua cum musculis oris suppetias fert. Qui primus organa masticationi destinata cum mola comparavit, non habet ut hujus comparationis illam pœniteat. Sub hac præterea mora alimentorum in ore, insimul Saliva copiosius affluit, & æque ad faciliorem dissolutionem confert, ac divisis cibis se intime insinuat, imo cum his in Ventriculum descendit, & porro cum chylo, ex alimentis istis confecto, in sanguinem tendit. Nec vero Saliva tantum comitem ciborum sub masticatione & deglutione agit, sed accedit Sputum quoque ex glandulis Palatum obsidentibus, ac vel maxime ex Tonsillis sub compressione, quam deglutitio infert, sudans affunditur, & delapsum ciborum, vias obliniendo, non parum facilitat.

§. V. Potulenta, quamvis parilem præparationem in ore haud sustineant, nec etiam indigeant illa mora dum jamdum soluta sunt; haud tamen, si decenter hauriantur, tam citè defluunt

defluunt per Oesophagum, quin illorum frigus, si quod adest, calore oris & viarum, quas transeunt, moderetur & fluidorum quidquam se jungat, quâ tempore masticationis os madet. Ex binis his momentis Ventriculo in sua actione accedit solatium.

§. VI. Concreduntur ergo Alimenta, post memoriam in ore mutationem, Ventriculi fundo, qui abhinc sensim sensimque distenditur & è latebris surgit, in quas, officio suo rite peracto, iterum redit. Detinentur quoque in illo per aliquod tempus, antequam per pylorum iterum dimittantur. Longe tamen alia jam facies est assumptorum, quando Pylorum scandunt. Durities, quam secum attulerant, jam evanuit; sapore, quem servaverant, jam carent; color varius, ad sensum in homogeneum est mutatus & quævis contenta, quam diversa fuerint, pultem quandam seu farinam subactam referunt, ex cinereo albicantem, plus minus dilutam.

§. VII. Tempus hujus Commorationis exacte determinare non licet; quandoqvidem v. g. ætas puerilis præ senilitate genus laboriosum præ otioso, aura frigidior præ calida, consuetudo &c. moram illam accelerant. Quam vero illa incertitudo sit, apud omnes est in confesso, breviorem, magis adhuc in bene valentibus, esse moram, quam ut aliquis, citra quod observatio quotidiana illum de hoc informaverit, sibi possit persuadere Alimenta assumpta tam diversæ molis ac conditionis brevi illo temporis spatio in pultem mollem ac æqualem redigi potuisse.

§. VIII. Experitur præterea Negotium Chylificationis diversa fata pro modulo Affectuum qui illo tempore regnant, quo alimenta in Ventriculo detinentur. Si animus latus fuerit, v. g. si quis cum Amicis decumbit, nullæ surgunt molestiæ, nec gravitationis cuiusdam sensus observatur, quamvis solito plures cibi assumti fuerint. Econtra præcordia sunt tensa, si animus fuerit demissus, curis tædiisque plenus, si hæreat magis in libris quam patinis &c. quamvis ceteroquin Alimenta nec qualitate nec quantitate vitium contineant. De ira, ter-

rore, gaudio insolito &c. quam ab illis Chylificatio possit turbari, non est ut moneamus, quandoquidem morbi chronic quotidianie inde surgunt, qui Ægros & Medicos satis exercent. Studio quoque omittimus quid valeat desiderium animi in Pica, Malacia, morbo gravi detentis &c.

§. IX. Quantum Consuetudo circa actum Chylificationis valeat, exprimi satis nequit. Colligere tamen licet, modo attenderimus illi tribuendum esse, quod de cibis familiaribus durioribus, longe citius imo citra quandam molestiam Ventriculus disponat quam mollioribus sed inassvetis. Pariter notissimum est, quod non modo desiderium ciborum imminuatur, sed omnino pereat, si svetum tempus prandii vel cœnæ fuerit neglectum: imo, quod in sensibilioribus abstinentia illa lipothymias & animi deliquia inferat; æque cibi insveto tempore ventriculo commissi quamvis fuerint familiares, corporis tamen langvorem, distensionem Ventriculi molestam &c. post se trahunt.

§. X. De Fluidis non possumus quin adhuc subjungamus, Horum accessum non modo simpliciter esse necessarium, ut corpus ab actu chylificationis bene habeat; sed si vel illa magno haustu cibis præmittantur, vel etiam assumptis cibis una serie superbibantur, negotium dissolutionis ciborum turbatur, ita ut vel desiderium solidorum aut imminuatur, aut penitus cesset; vel actus ipse chylificationis ultra solitum tempus protrahatur: nisi demum consuetudo consecaria hæc præoccupet, aut vitæ genus laboriosum ista emendet. Placidius longe Alimentorum fit in Ventriculo dissolutio, quando per intervalla fluida ista solidorum masticatorum deglutitionem interpellant & bis ter quaterve hoc obtinet. Solenne quoque est, modo non alieni mores, vel morbosi quidquam intervenerint, quemvis hominem tempore illo, quo cibi Ventriculo traduntur, experiri sitim, hancve non primo, statim haustu, sed repetito demum potu tolli.

CAPUT III.

*De
Officio Ventriculi quod consistit in
Subactione.*

§. I.



Ræmissis breviter illis quæ tam ad stru-
cturam Ventriculi in quo cibi solvuntur,
quam ad simplicem Historiam dissolutionis
alimentorum in illo spectare poterant; prom-
ptius nunc demonstrare licebit ex nullis a-
liis Analogiis vel comparationibus distin-
ctum adeo conceptum fluere de modo Chylificationis & qui
animum saturare possit, imo qui sufficiat ad explicanda phœ-
nomena sub ipsa ciborum solutione obvia quam ex compara-
tione cum modo *Subactionis*.

§. II. Explicandi ratio per πέπσων, πέπασμον sive Co-
ctionem quondam satis familiaris, sed quod essentialia Chy-
lificationis attributa nonnisi invite poterant ab illâ derivari,
fuit tandem derelicta. Accessit Bellum, quod inter Galenicos
& Chymicos sub Imperatoribus Paracelso & Helmontio arsit;
quo, tanquam culinare paradigma, penitus è castris Medicis
fuit relegata.

§. III. In Locum illius notio Fermentationis venit. Chy-
mia quippe magis magisque caput extollere ceperat ac Chy-
mia labores Medicis magis magisque arridere. Observa-
runt Hi per Fermentationem unionem concretorum solvi,
mixta insigniter transmutari & longe aliam faciem indu-
ere; hinc applicatio fuit ad Ventriculi labores facta. Ne
quoque excitativa vel promotiva causa hic deesset, quam Fer-
mentum vocabant, & in omni fermentatione necessarium a-
gnoverant, magno studio allaborarunt pro illo in Ventriculo

demonstrando. Est hinc quod Alii affirmaverint inesse Ventriculo liquidum aliquod connatum quod Fermenti vices sustineat; Alii ex reliquis ciborum assumptorum & dissolutorum fermentum in Ventriculo voluerunt generari; Alii contendunt ex Liene in Ventriculum stillare; Alii illud plorare dixerunt glandulas Gastricas; plurimi tandem concluderunt Salivæ honorem Menstrui esse deferendum &c. Ut taceamus qui Bilem, item qui Spirituum accessum, Fermenti loco esse iudicaverint. Non minus illos natura hujus Fermenti anxios detinuit: an acidæ prosapiæ? an alcalicæ? an salino-alcalicæ? an salino-volatile-oleofæ? an acido-volatile? an indolis æreo-æthereæ? an gaudeat dupli virtute, incisiva & fermentativa? ut lites alias omittamus. Ipsæ jamdum Autorum discordiæ satis esse poterant Successoribus argumento, ut comparationis hujus exactitudinem in dubium vocarent. Magis tamen fuit tanquam insufficiens declarata ab his qui attendunt tempore illo, quo Chylificatio fit, nullam posse fermentationem absolvi; ad hanc requiri vasis, in quo fiat fermentatio, quietem; res fermentationi admodum obnoxias longe difficilius in ventriculo dissolvi, ac quas fermentatio vel plane non vel tarde satis destruit; nullum putredinis in chylo esse vestigium, quam tamen carnes referant si fermentationi subiectantur; de fermento in Ventriculo nil certo posse affirmari, &c. ad summum, Fermentationem hanc non nisi confusivam posse dici minimorum, quæ alibilium evolutionem aliquomodo adumbret, sed administrandi modum non exhauriat. Tanti quoque roboris hæc argumenta fuerunt, ut Sagaciores inter illos confugerint vel ad terminum Fermentationis & hunc dixerint non in sensu chymico, sed stricte physico, esse sumendum, quo inferat talem concretorum dissolutionem, ut quedam particulæ aliis separetur, quedam aliis uniri possint vel ad extractionem Fermentificam; vel ad differentiam fermentationis in Macrocosmo ab hac quæ fiat in Microcosmo hanc non esse tam vehementem aut turbulentam, sed blan-
dam, pacatam, temperatissimam; vel ad modum quendam fer-
menta-

mentationis satis peculiarem; vel ad nomenclaturam fermenti Transmutativi, Vitalis specifici, cui par aliud in rerum natura non sit. Haud tamen his coloribus potuerunt defendere Analogiam fermentationis cum Chylificationis modo.

§. IV. Inter labores chymicos *Digestio* nonnullis placuit, pro chylosi explicanda, quandoquidem concreta à se invicem avelli istâ possint, & habitum longe alium induant, Fuerunt qui ad modum *Extractionis* chylum parari contendebant. Sed, quis non observat maximam differentiam inter hos labores chymicos & ciborum evolutionem in Ventriculo, modo attenderit ad moram quæ requiritur in digestione vel ad diversas qualitates extrahendorum in Ventriculo, quæ ne quidem Menstruum Universale combinare valeat.

§. V. *Emulsionis* artificium placuit *Ortobio*. Hic laudem vel abhinc meretur, quod vel primus vel certe inter primos fuerit, qui publice monuit Ventriculum minus juste considerari tanquam vas continens mere passivum sed cuius motus multum auxilii ferat in negotio chylificationis. Verum enim vero, quem candorem hujus Viri merito aestimamus, ipse hanc comparationem insufficientem arguit, & quasdam circumstantias hic quoque inveniri confitetur quæ neque in modo Emulsionis nec in Extractione, nec in Operatione quadam artificiali adsint.

§. VI. Quodsi ergo deficiant Analogiae simplices in explicando Chylificationis opere, vix sperari poterit clarior de illo conceptus, quamvis illæ vel duplicentur v. g. obtainere in Ventriculo *Exactionem* cum *Fermentatione*; vel quatuor illarum combinentur: fieri nempe chylum & *attritione* & *dissolutione* & *fermentatione* & *coccione*. Omnibus modo allatis comparationibus quo minus admitti possint in negotio dissolutionis ciborum in Ventriculo: obstat 1.) Brevis mora quam in Ventriculo alimenta trahunt. 2.) Alimenta, cujus fuerint indolis, acida, alcalia, salsa; dura, mollia, sapida, insipida &c. rediguntur in Pultem ad sensum homogeneam. 3.) Fata alimentorum in Ventriculo multum dependent ab Animi indole.

§. VII. Absit vero ut inde commoveamur vel ridere Veterum phrases queis chylificationem reddere clariorem volvunt: vel Recentiorum meditata circa negotium solutionis ciborum frivole spernere, nobisve gloriolam ex aliorum contemptu parare. Persuasi sumus, Omnes, quos studia delectant, Milites esse à Veritate conductos, ut ignorantiae Castella oppugnent. Diversâ vero fortuna res hic geruntur. Alii quâ brevissimum patet, iter, alii diversos & ignotos sequentibus calles, petunt. Sunt qui fiduciaz ac spei pleni in murum evadunt, sed devoluti spem sociorum fallunt. Quos loci injuria totis viribus congredi non sinit, hi clamore suos accendunt. Non unius consilio cuncta hîc agi possunt; non usitata semper arma sed, quædam etiam nova, afferenda. Idem vero animus est omnibus, pugnare, periclitari & si eventus non respondeat magnitudini animi, sudore tamen suo commendare posteritati nomen suum.

§. VIII. Propius nunc convertimur ut nostra animi sensa in medium afferamus & probemus *ad modum subactionis fieri dissolutionem Alimentorum in Ventriculo.* Obvia sunt undique Subactionis Exempla. Placet tamen binorum, eorumque simplicissimorum, meminisse. Familiarissima est in Panis præparatione, quando grana Molæ cura conteruntur & in farinam plus minus pollinem rediguntur. Hæc maestræ concreditur, sensim calida affunditur, & vel spathâ ligneâ, vel quod usitatum & conveniens magis, manibus convolutis aut pedibus tamdiu depsisit donec homogenea porro abhinc in varias massas redigi possit. Quocirca ceu Vulgus observavit evadere has laxiores ac satori magis gratas si fermenti quidquam adjeherent; ita Honoratores nunc Fœces Cerevisiæ, nunc saccharum nunc Mel cum farina insimul commiscènt ac palato ita blandiuntur. Subactionis quoque modus apparent in præparatione chartæ, quam papyrus vocamus. Lintea vetusta & detrita concerpuntur, concerpta molæ papyraceæ committuntur, ubi alveis intrusa, aqua sensim affusa, tamdiu agitantur donec in pulmentum fatiscant, quo hoc porro ad normam

artis in plagulas abeat. Ex his Exemplis constat, qualis sit vis Subactionis concreta immutandi; imo quis numerus requisitorum? si illa obtinere debeat. Requiruntur scilicet ad quamvis subactionem & sufficiunt 1.) *Vas in quo fiat.* 2.) *Res subigenda.* 3.) *Liquida, que affundantur.* 4.) *Subactio ipsa.* 5.) *Massa pulcherrima, tanquam effectus.* Omnia hæc requisita quod in Chylificationis negotio, si hoc strictius consideremus, adsint & in Ventriculo reperiantur jam per inductionem erit probandum.

§. IX. *Vas* quod attinet in quo alimentorum fit subactio quin *Ventriculus* sit, neminem crediderimus negaturum, fore. Nec enim non videmus quotidie alimenta illi tradi. Sed, nec unquam observatum fuit, quod tamen de Hepate, Liene, imo de ipsis Intestinis in longitudine sua admodum deficientibus, Annales Medicorum referunt, defuisse cuidam hominum Ventriculum. Magis legere est duplicem illum aliquando fuisse repertum. Nec ergo de illius præsentia, vel de officio pro alimentis subigendis, dubium quoddam manet. Ast, an non ipsis Intestinis titulus *Vasis*, in quo subactio alimentorum fiat, parili jure competit? quæri poterit. Pro superiori Intestinorum tractu ac si huic dissolvendi vis quædam à Natura indita sit, nec omnis chylus in Ventriculo conficiatur, plurimi faciunt. Videtur etiam, ut hoc statuant, ipsos invitasse ipsa Intestinorum structura, quæ non omnino diversa est à fabrica memorata Ventriculi. Accedit quod illorum longitudine massa alimentaris devoluta ulterius perfici possit. Nec desunt inter Medicos haud inferioris nominis, qui etiam inferiori Intestinorum Tubo *Vasis chylificatorii* honorem defendum esse monent; Ita ut, si quando inferiori gutturi alimenta evpepta v. g. tremor hordei, lac, jura carnium, vinum &c. infundantur, sustentari non modo possint ægri faucium umore oppressi, aut gulæ & ventriculi vitiis correpti; sed & optime nutriantur, atrophia ex vitio partium supernarum laborantes, qui cæteroquin diem obirent. Hinc formulam Enehatis nutrientis non modo præscribit, sed etiam tempus applicationis,

cationis, à rejectis nempe excrementis, vel in dormituris, commendat *Mynsichtus in Armament. Medico-Chym. sect. XXXII.* Modum injiciendi per cornu longissimum, vi maxima manibus compellendum, refert *Sennertus Institut. Medic. lib. V. part. 2. sect. III.* Cap. 4. Vitam conservatam in grida sub aversione omnis cibi ac potus per spatium sex hebdomadum, clysteribus talismodi, singulis diebus bis injectis, tribuit *Hildanus observation. chirurg. Observ. XXX.* magis adhuc in ætate infantili nutritionem hanc valere consentit *Major in dissert. de Clyst. Cap. 8.* Nec tamen omnibus istis rationibus induci possumus ut in communione vasis subactorii Intestina recipienda esse concedamus. Omittimus & tacemus consensum Virorum æque celebrium qui pro solo ventriculo faciunt, ne videamur ex diffidentia causæ nos velle Autoritate pugnare. Modo separemus illos actus qui ex communi loquendi formula sub uno chylificationis vocabulo solent venire, chyli separationem & chyli elaborationem, facile constabit Medicos dissentientes suis argumentis hoc saltem evincere quod chylificationem separatoriam vindicent Intestinis, quam illis nec nos denegamus. In hunc quippe finem illa esse corpori concessa colligere est, tum ex longitudine, qua quinques, imo sexies superant hominis longitudinem cujus sunt, quam illis apposita oscula vasorum lacteorum, quo separatus chylus in hæc se recipere possit; ac vel eundem scopum mira illorundem convolutio respicit, ne scilicet ante dilabatur pulmentum à Ventriculo acceptum quam legere selectiora in illa & quisquilias illius secernere fuerit Intestinis integrum. Quandoquidem vero in rebus quæ fieri aut non fieri dicuntur, Experientia solida firmissimum argumentum est, nemo dissentientium affirmaverit sola intestina chyli præparationi sufficere, citra quod Ventriculus subvenitur non adeo, quam hujus subactio præcesserit. Attendant nobiscum ad vitia chyli à vitio ventriculi illæsis intestini v. g. in chyloſi vitiata, à ventriculi nimia extensione, quam potulenta magna copia hausta procurarunt. In hac quam optimè sibi constant intestina; nec enim hæc à potulentis ita di-

stendi poterant, quin præterlabantur citius quam hunc canalem distendant & tamen cibi crudiores, quales illos ventriculus tradidit, per alvum rejiciuntur. Quodsi insuper perpendamus morbum, Cœliacam passionem, aut, si hæc invaluerit, Lienteriam dictum, da die Speisen halb/oder gar unverdauet weg. gehen / effectum ventriculi hunc esse in confessu est & insuper probant molestiæ circa ventriculum, quæ sub primordiis ejus se produnt, imo Vomituritiones post assumptos cibos. Qualis jam causa hujus mali allegetur in hoc omnes consentiunt elabi assumpta citius quam quod in Ventriculo mutationem quandam sustinuerint. Quod si Intestinis præparationis ciborum ministerium itidem esset concessum, facile corrigeretur unius Ventriculi langvor tot intestinis elongatis Ventriculum vel centies sua extensione superantibus. Nec quod à similitudine structuræ inter ventriculum & intestina peti solet fundatum, majori fulcro nititur; aut inde foret quoque inferendum, æque ventriculo chyli separationem esse tribuendam quæ intestinis; quod tamen nemo affirmaverit. Præterea capacitas illa ampla, qua ventriculus gaudet & instructus est, cuivis, leviter hæc pensitanti, differentiam Ventriculum inter ac Intestina, & quoad structuram & quoad officium, insinuabit, simulve hæc excludet à Subactione ciborum. Quodsi ergo Intestinis Tenuibus Officium præparandi alimenta in corporis sustentationem minus juste tribuitur; quid sentendum sit de consiliis corpus nutriendi per inferius guttur? facile comparet. Ne urgeamus Enemata, qua vi etiam injiciantur, quem situm etiam æger eligat, vix ascendere, modo cæteroquin intestina sibi constent, ultra curvaturam Coli; impetum quippe vel syphone vel per cornu factum latera intestini Recti, hujus flexura, & Coli incurvatio frangunt; Hoc obvium satis est, effluere illa iterum paucò temporis tractu elapsò, ex quibus etiam fluidis, nutrientibus aut minus nutrientibus, fuerint composita, dum in loco hoc prægravant, hinc molesta sunt. Scybala aut illa comitantur aut inseqvuntur. Si fortean aliquid adhæserit parietibus hujus tractus intestinalis,

tam paucum sit res ipsa loquitur, ut si vel maxime aditus in sanguinem illi concederetur (cui tamen absentia vasorum Lætorum aut horundem raritas, tunicarum in his locis crassities, aliave impedimenta se opponunt) ad nutriendum minimum digitum vix sufficeret. Prævidisse quoque hæc obstacula videntur qui pro clysteribus nutrientibus faciunt, quando nonnulli illorum *non veram vel omnimodam nutritionem* hic posse admitti innuunt, ceu *Claudinus* hūc confudit, *de ingressu ad infirm. p. m. 415.* Alii, dum blandus acor per *vilos nerveos* ad partes pro topicis harum fermentis confluat, idem hic obtinere volunt: in qua ætiologia sibi placet *Major*, l. c. Aut, ajunt, materie injectæ pariem subtiliorem per intestinorum poros cum sanguine ad cor rapi, sicque non æque in strictiori sensu nutritiri quam aliquanter reficere, ceu languidi spirituosis reficiantur. Ex modo allatis insimul fluit, quid sentiendum de historia ab *Hildano* allata! Tacemus exempla Afitorum undiq; obvia, queis talis nutriendi modus per inferiora plane ignotus est. Relinquimus ergo intestina officio suo, cui sunt destinata, verbave *Bergeri* quæ habet in *disp. de Lient. p. 10.* nostra facimus: *Solutioni ciborum Ventriculus in primis, secretioni & distributioni chyli, elongatus ille tubus, sive Intestina præsunt, & defectus istius atque errores, bæc supplere & emendare minus valent, sed suopte damno expiare coguntur.*

§. X. Provehimur ad *Res in Ventriculo subigendas.* Veniunt hæc generatim voce *Alimenti*, quâ non modo Cibi solidiores, sed etiam fluida, in corporis nutritionem destinata, comprehenduntur. Singulatim illas enumerare nulla necessitas jubet, nec etiam illarum catalogum largissima *CREATORIS* munificentia admittit; ut taceamus, quam incredibilem Eduiorum farraginem Genius hominum, cellam ac culinam deperientium, excluderit. Quin hæc, quæ Regnum Vegetabile suggerit: *radices, semina, fructus, Olera &c.* nutritioni corporis à DEO præ his, quæ animalia offerunt, fuerint destinata, dubium esse nequit, quandoquidem istis corpus nostrum sufficienter potest sustentari. Nec tamen persuaderi nobis patimur,

mur, omnimode Regnum animale fuisse ex catalogo nutrimentorum ab ipso rejectum; aut seculis ante diluvium $\chi\rho\epsilon\omega\Phi\alpha\gamma\iota\alpha\tau$ fuisse penitus damnatam; quando consideramus *Eva* mammas fuisse concessas, quo suos infantes lactet. Non minus novimus, quæ illa exclusit sexus fœminini individua, *Mammas* hoc privilegio accepisse, ut laetum nectar per Papillas seu fonticulos infantum oribus instillent, quo in horum nutricatum cedant. Accedit quod homines, quamdiu in utero harent, succo animali sustententur & augeantur. Lubenter tamen confitemur Illecebras lascivientis *Gulæ* & Luxuriei *Pelagum* frugalitatem antiquam de summa sede depulisse, ut hodie non disquirendum amplius sit, quæ assumenda, sed quibus blanditiis in *gulæ* favorem sint paranda & instruenda? Qui pro *Regno minerali* faciunt, bene sibi consulunt, quando commenta de *Auri* viribus, quod *Naturam humanam* foveat, *Cordis Vigorem* augeat, vitam demulcent, senectutem ipsam arcent &c. olim adeo chara deserant. Subsistat vero opus est in solius *Aqua* allegatione. Exemplis à Lacte *Lunæ*, quod indicat terram admodum levem fissuris saxorum inharentem, aliisve hujus regni incolis desumptis, quod nutriant, haud majori probabilitate concludunt, ac quando dicitur *Struthionem* ferro, *Elephantem* terrâ, *Aves* lapillis nutriti. An vero *Aqua* ipsum sit alimentum animali vehiculum? de quo nonnulli acriter contendunt, eodem jure queritur, ac si quis inter jucunda carnium, imo ipsum lac, distingere velit, quâ alimentum sint, quâ vero Liquidum Elementare. Nodum hoc est in *Scirpo* querere. Haud maiorem fructum quis sibi comparaverit ex litibus quæ de aëre solent foveri. An Hic sit referendus inter materiam nutritionis, & ad illas res, quæ subactioni in *Ventriculo*, ut alant, concredantur? Frivoli Assertores committendi forent Experientiæ propriæ; an sint ex *Astomorum* gente, quam cum *Plinio* statunt in *Indiæ* oris extremis habitare & solo aëre vesci? vel, an *Chamoeleontis* calleant artificium; cui pariter aërem pro victu dispensant? verbo: Ob sie können vom Winde leben? Inducimur, ut asseramus hanc hypothesin de Aëre nutrientे venerationem

tionem peperisse Antiquorum, quibus familiare fuit Nutritionis voce omnem quoque refocillationem, quamvis momentaneam, compellare. Conjecturas has nostras firmant Exempla quæ pro Aëris in nutriendo valore solent allegari v. gr. *Democriti*, qui odore panis calidi per triduum se sustentaverit; *Cogorum & Pistorum* qui non modo odore sustententur; sed etiam impingentescant; *Pthysicorum*, quos fragrantia odoriferorum admodum reficiat. Nec reticere volumus subesse in istis Exemplis Fallaciam causæ non causæ. Talem meminit *D. Praeses* se observasse in *Egrato* febre ardente laborante, cui, quod vinum esset interdictum, cum ad preces suas odor vini, præsertim ex vitro capaciori, fuisset concessus, odor vini tantum robur addiderit, ut vix lecto potuerit contineri. Interrogatus à *Præside*, unde istæ anomaliaæ? odorem vini se adeo refecisse, regesit: hauserat vero omne quod vitrum continuit. Corpus humanum, ex solidis partibus constructum, refocillari odore potest; ast negat Aëre nutriti, materiâ in hanc finem fluxil nimis ac momentaneâ. Quæ omnia tamen absit, ut hoc sensu allata à nobis esse quis arguat, ac si in Ventriculum Aërem condescendere negaremus; potius hanc solam agnoscimus viam qua Aëri conceditur communicatio cum sangvine mediante chylo. Probant præterea hunc Aëris in Ventriculum descensum Spumescientia liquidorum ex ore sensim defluentium, Masticandorum in ore agitatio reciproca, Potulentorum deglutitio, quæ partitim obtinet. Inferunt hæc quoque non parum Aëris esse, quod, præsertim sub actu Masticationis, Ventriculum salutat.

§. XI. Ordinarias modo exposuimus Res, quæ Ventriculo solent & debent ex Lege Illius concredi, qui Ventriculo detulit Ministerium, quo corpus alatur. Sed quanta ne est vis Ventriculo una concessa, sicuti depravatus appetitus obtulerit, aut esui ceteroquin inepta, aut certe horrenda? Ne videamus extra oleam vagari, memorasse sufficiat traditos fuisse, & hoc cum lubidine, ventriculo pisces salientes, mures vivos, crudas angillas, vivas lacertas, gammaros incöctos, cineres, orbes, candelas

candelas cereas, pelles argenteas & aureas, crustas ulcerum in scabie exsiccatas, carbones, calcem è lapidibus excusam, frusta ollarum collifarum, panem similagineum ungvento, quo currus illiniuntur, obductum, item pici liquide immersum &c. De quibus, qui Historias ipsas desiderat, evolvere poterit Scriptores de *Pica & Malacia*. Quodsi Ventriculus habet ut se exerceat in rebus ratione qualitatis vitiosis, quid dixerimus de quantitate Alimentorum, quæ ventriculo tradere modo nequitia, modo luxuries, modo inexplebilis fames, impulit? Supercedemus vero exempla ista afferre, cum otium in his historiis compilandis fecerit *Moronus* in *Direct. Medic. Practic.*

S. XII. Pergimus ad Requisitorum tertium i.e. ad *Liquida*, quæ Ventriculo in Subactionis complementum affunduntur. Necessitatem horum liquidorum, pro actione illa absolvenda, non modo intellexit *Formator* Corporis nostri, sed, ne deficiant, tamè longinquo voluit huc confluere, ac è vicinia stillare. Bini generis illa esse quæ ex Ore & Faucibus accedunt, supra in historia Subactionis jam fuit relatum, *Salivam puta & Sputum*. Illam, liquidum esse Subactioni revera destinatum, observare satis est, modo cibi, palato non ingrati, masticandi in ore detineantur, statim enim patent rivuli glandularum & salivam expuunt. Frustra laborant, qui hunc largum accessum vel merè *automatæ*, vel à motitatione Musculorum Buccas & Lingvam componentium, derivare contendunt. Quam enim aliquis partes illas musculosas exerceat, si cibi deficiant, nec aliquid in ore detineatur, ad cuius solutionem hic liqvor commodus habeatur, vix præter svetum madorem. Oris vel ordinariam fluidi in ore portionem quidquam obtinebit. Nec minus de *Sputo* valet, conferre hoc fluidum symbolam tempore masticationis & subactionis; pariter ex copiosiori affluxu hoc colligitur, adeo, ut dum ejus Fontes in cavitate ossis Frontis, in Oculis, in Naribus &c. collocati sunt, sub masticationis actu, si cibi admodum avide deglutiantur, oculi quoque plorent lacrymas & nares phlegma fundant. Nec tamen negandum *Salivam masticationi, Sputum deglutitioni*

magis

magis subvenire. Quam præterea horum Fluidorum libera-
lis affluxus sit, observare est quod non defiant, quamvis e-
tiam Masticatio ad horam aliquando protrahatur. Præter ista
fluida modo memorata, Gula interior Tunica, quod fundit
Serum glutinosum, pariter confert ut Deglutitioni æque ac
Subactioni ferat suppetiat. Ipse insuper Ventriculus recipit
quandam Lympham ex glandulis suis; ac quam maxime in sui
cavum ex Glandulosa Tunica, qua intus est obductus, Li-
quidum stillat. Non parum esse quod illi hinc accedat, con-
cludere licet ex amplitudine Tunicæ Glandulosæ, qvæ totam
ejus internam superficiem occupat. Ceu vero novimus non
sufficere in Macrocosmō ad Germinationem Succum qui terram
intus humectet, sed, ut pluviaz, accedant esse necesse; ita pari-
ter in Microcosmo, ut Liquida externa ventriculo sub actu Sub-
actionis tradantur, sapientissimus *Creator* voluit. De his cum
jam in historia Subactionis fuerimus locuti, plura hic proferre
supercedemus.

s. XIII. Properamus magis ad ipsam *Subactionem* ceu
quartum Requisitum, in Ciborum comminutione justâ necessari-
um. Bino hæc absolvitur motu; proprio & adventitio. Pro-
prium Ventriculo esse solus conspectus *Fibrarum* musculosar-
rum dudum docere omnes potuit; Varium vero, harundem
Situs varius, qvoqve inculcat. Extra tempus Subactionis
quod perpetim contrahatur & se iterum expandat, a sinistro
orificio ad dextrum, desiderat Salivæ, in primis mucosorum
desuper venientium, ac ex proprio sinu stillantium, continu-
us accessus, qveis brevi tempore obrueretur, nisi denuo per
illorundem Ablegationem in Intestina se inde liberaret. Qui
de hoc ejus motu dubitat, tam observare illum poterit in Bru-
tis vivis dissectis, quam in homine demortuo; nam in illorum
Ventriculis qualis hæret humor, talem etiam offert Duode-
num; distinctum ab hoc, qvem hujus parietes ipsi plorant.
Istius liquidi constans præsentia efficit, quod nonnulli illud
voluerint Fermentum esse, quod cibos comminuendos ex-
spectet. Motus ille placidus longe est intensior Tempore
Suba-

Subactionis, hinc quoque effectus major ab illo est exspectandus. Cibos, cavo suo traditos, complectitur non modo Ventriculus, sed illos amplectitur, molliter utrinque stringit, rugis quibus instructus est, ceu nodis digitorum, contrectat, laevigat, fricat, confricat; Crusta Villofa emollitas partes, tanquam excutia, detergit, quo ulterius rugis pateat in reliquam contentorum superficiem accessus: nec quendam locum cibi occupare possunt, ubi non experiantur Ventriculi blandam vim. Facilitatur quoque haec & citius obtinet ab accessu & praesentia liquidorum memoratorum, quae spatio arcto inclusa, & emolliendo & lubricitatem conciliando & parando dissolutionem undique subveniunt. Motum hunc Ventriculi proprium adauget *Motus adventitus*, qui dependet à negotio Respirationis. Haud inspirare potest Homo quin Diaphragma complanetur; non vero complanari potest, quin in sinu suo reconditum ventriculum protrudat; Hic protrudi nequit, quin iterum sibi incumbens Hepar attollat & Colon subiectum sursum cogat; ab his elevatis Abdomen intumescit & surgit. Sub Expirationis actu denuo Ventriculus ferit. Abdomen quippe intumescens, à musculis suis iterum constringitur; constrictione hac Colon & Hepar repelluntur; Hepar & Colon repulsa, pellunt sibi vicinum & allatum Ventriculum, qui hac pulsione accepta, in Diaphragma iterum agit, ut hoc retundat, & Respiratio absolvatur; ut taceamus Lienis appositi symbolam. Singulo ergo actu Respirationis, qui toties per unam horam obtinet, tam quando inspiramus ac quando exspiramus, Ventriculus quatitur, si alimentis vacuus mollius quoque, ast, si cibi illum distenderint, magis graviter.

§. XIV. Sub Motibus talismodi reciprocis & per aliquot horas continuatis, emergit tandem *Productum*, quod *quintum erat Requisitorum*, queis Subactio absolvitur. *Pulmentum* hoc est sive *Massa Pultacea*. Comparare solent hanc succo Ptisanæ, alii cum Emulsione, reliqui cum Farinâ subactâ. Chyli nomen generaliter illi datur. Quamvis enim sint, qui malint massam illam appellare Chymum, ceu cui fœculentiae

adhuc fint immersæ, Chylum vero dicere defæcatiorem illius partem, quando in Intestinorum tractu separata, per vasa Latæa decurrit, ut sanguini tradatur: nec tamen omnibus critica hæc arrident, sed tam ipsam in Ventriculo actionem termino Chylificationis includunt, quam hoc productum Chylum vocant. Nobis perinde esse poterit, quo vocabulo quis velit massam illam pultiformem vocare. Utrumque vocabulum, origine græcum, latinitatis jura jamdudum fibi acquisivit. Massa ipsa *Coloris* ut plurimum est *cinereo-albicantis*. Nec tamen tam firma hæc regula, quin assumpta illam aliquomodo immutasse Observations Medicæ habent; æque dicendum de ejus *Conscientia*, quæ plus minus est spissa.

CAPUT IV.

*Confirmat Subactionis modum solutione
Problematum hoc spectantium.*

§. I.



Audatur in Arithmeticis hoc artificium, quando ex numeris certis datis, ignotus quidam colligitur; permisum est Logicæ peritis, expositis præmissis magis cognitis, ignotam quidem, sed necessario sequentem, propositionem inferre; Nec vero in Medico studio Methodus magis justa inveniri poterit, ac quando ex notioribus ac indubiis solutio fit horum, quæ videntur incognita & incerta. Ut hanc & nos jam sequamur, non modo permittit, sed & jubet, præsentis instituti ratio; fortean, quod tam cohærentia necessaria, quam plana ac perspicua, Phœnomenorum in Chylificatione obvenientium, cum modo (Subactionis, de quorum Æthiologia & acutissimos Medicorum videmus esse sollicitos) aliis nobiscum, ut simplici huic

huic labori Naturæ in cibis præparandis SUUM tribuant, incitamento esse possint.

§. II. Inter Phœnomena illa non leve est *Tempus commorationis in Ventriculo*. Brevius hoc omnibus videtur, ac quod, vi hypothesum hactenus receptarum, Alimenta in massam pultaceam redigi possint. Satis hinc Philotheoros exercuit. Nolumus in recensendis æthiologiis variis esse occupati, ne videamur, ardore refellendi accensos, nos hoc facere. Cui illas nosse volupe est, illas undique reperiet in libris Medico-Physicorum. Audaeter asserimus, solutionem illam intratam breve tempus, citra omnem vim, aut quoddam figmentum, explicari posse ex modo Subactionis. Instituamus modo computum, quoties in una hora Ventriculus & in illo Alimenta conquassentur. Si ad Motum Ventriculi adventitium attendamus, qui à Respiratione dependet, quivis in se ipso observabit, si vel placide respiret, aërem pulmones intrare, horæ unius spatio, *bis millies sexcenties quadragies*. Hic calculus dum est duplicandus, (nec enim tantum inspirat homo, sed etiam exspirat, ab utroque vero actu ventriculus patitur) concutitur ventriculus spatio unius horæ *quinquies millies ducenties octogies*. Jam trihorium Ventriculo communiter datur, ut cibis infudet; subactio ergo repetitur quoad motum adventitium *quindecies millies octingenties quadragies*. Huic numero concussionis, si numerum addideris, quem proprius Ventriculi motus inculcat, & tantum hunc judicaveris, respectu adventitii, duplo celeriorem, qui tamen jure est triplicandus vel quadruplicandus, numerus concussionis cui alimenta sunt obnoxia, per unam horam erit *undetrigesies millies sexcenties octagies*. Ast spatio trium horarum *quadragies septies millies quingenties vigesies*. Non jam difficile conceptu erit, qui tam brevi spatio, quod volunt, alimenta in pultem abire possint, sed magis mirum, quod trihorium in illo labore consumatur!

§. III. A solutione præcedentis Problematis sponte fluunt Æthiologiz variarum quæstionum ad chylificationem spectantium. *Quare vita genus laboriosum præ orioso?* item;

deambulatio à pastu chylificationem accelerent? dependet à motu ventriculi sub laboribus, item sub ambulatione, accelerato; quæ acceleratio numerum concussionis antea allatum, pro varia sua intensione, duplicat triplicat &c. hinc effectus quoque celerior. Siqvidem etiam respiratio in ætate puerili frequentior, quam in senili, exercitia corporis pueris magis grata quam decrepitis, patet ratio *quare in ætate puerili celerior sit subactio præ subactione in senibus?* quamvis ceteroquin, quoad ventriculi structuram nulla sit differentia, si solam capacitatem exemeris. Accedit, quod masticatio in senibus non adeo exacta, quia dentibus aut carent, aut rarioribus modo gaudent, subactioni in ventriculo multum detrahat. Æque facile intelligitur *quare à motu corporis nimio, ab inconsueta incurvatione à prandio,* turbetur chylificatio ac cibi ante justum tempus in Intestina ablegentur? nam motus adventitius jam gravior, non, ceu solebat, molliter vibrat, sed quatit, ventriculi latera distenta ut dimittenda sint contenta, qualia etiam brevi tempore evaserint.

§. IV. Quandoquidem ergo in modo allatis Phænomenis chylificationis acceleratio dependet à diversitate motus adventitii quem respiratio causatur; ita pariter à motu ventriculi proprio dependet Individualis varietas temporis, qvo cibi in Ventriculo detinentur. Norunt omnes, quod, *qui Hominum habitus sunt diffusioris, qvo speciosioris Vultus, eo avidius non modo cibos appetant, sed quos voluptas concessit, hi in Ventriculo cito satis dissolvantur;* *præ his qui æque habitus spongiosi, sed quorum vultus pallore obsessus est;* *hos liquida magis etiam delectant quam cibi.* Æque in confessu est & constans observatio dudum docuit, *Individualis strictioris habitus & avide satis replere Ventriculum, ast negotium chylificationis prompte satis & brevissime in his absolvi.* Nihil jam facilius quam determinare discriminis istius fundatum, modo applicemus, quæ ratione motus Ventriculi proprii in antecedentibus fuere allata & consideremus ab hujus tarditate, vel prompta celeritate, fata Subactionis dependere. Primi inter modo memoratos, quos *Sanguineos* dixeris, speciosa sua

sua facie, florida ac rubello colore tinctâ, testantur, quam liberaliter in corpore suo obtineant actus vitales; nec ergo Ventriculi motus proprius patitur in se aliquid desiderari, sed pensum suum prompte absolvit. Qui illas excipiebant, *Phlegmatici* audiunt. Ex horum oculis legere est segnitiem, quâ fluida per vasa & fibras decurrent; ast simul mollities & flacciditas fibrarum musculosarum. Quis vero celerem hîc desideret actionem quandam, ubi omnes actus sunt remissi? dandum ergo & Ventriculo longius tempus est, quo officio suo fungatur. Econtra in individuis strictioris habitus, aut impetus celeritati junctus, ceu reliquos actus vita dicatos, ita & hanc Ventriculi, actionem, citatori fibrarum cursu accelerat, quod in *Cholericis* obtinet; aut arctior ex fibrarum robore, quod proximior appositio fibrarum affert, complexus & strictura reciproca, tarditatem gravitate compensat, quod de *Melancholicis* dictum fit.

§. V. A Motu hoc proprio dependet quoque vis *Consuetudinis* quæ observatur variare *Subactionis tempus*. Non equidem in hoc protrahendo, quod raro occurrit, sed anticipando. Consistit enim Consuetudo in promptiori expeditione rerum antea arduarum, sed quas frequens repetitio adeo reddidit familiares & faciles, ut arduum illud, quod antea se immiscuerat, penitus jam exulet. Nisi Exemplum quotidianum haberemus in his qui addiscunt scribere literas, quam tediosum quam molestum illis sit componere digitos, ut pingant tantum illas; ast vero quam continuatio hoc artificium reddat leve, ut vix levius quoddam se expedire posse fateantur hi, qui artem callent; ad illud provocare liceret. Pariter ea vis Consuetudinis circa Ventriculi fibras obtinet. Quæ enim ciborum duriorum communictio primis vicibus fuit fibris ventriculi molesta (resistebant enim magis & duriorem sensum inferebant) huic continuatio medelam attulit, ut non obstante illorum duritie, fibræ Ventriculi alacriter in illos agant & Victoriam ssvaviter reportent.

§. VI. Quod tandem attinet Accelerationem chylificationis

*nis quæ hieme prævalet; hæc dependet à liquidorum internorum, queis subactioni esse subveniendum supra monuimus, uberiori confluxu. Hic vero tribuendus partim est minus liberæ avolati-
oni liquidorum in auras, quæ æstate obtinet; partim uberiori se-
cretioni liquidorum circa viscera interna, glandulasque hic sitas.*

§. VI. Concitat in hunc usque diem discordiam Solu-
tio Phœnomeni, in quavis chylificatione, si casus rarissimos ex-
ceperis, obvii; *Qui obtineat ut ex alimentis tam varia consistentia
ac tam diversi coloris tam brevi spatio pulmentum non modo homoge-
neum, sed ut plurimum albicans, conficiatur?* Quas Copias etiam
miserint Pharmacia, Chymia, ipsaque Ars culinaria, nondum
sedari potuerunt animi dissentientium. Tentabimus, an redi-
gere illos possimus in gratiam! Abstinemus hinc eo lubentius
à recensione variarum opinionum, ne, dum ridiculæ etiam
forent allegandæ, incendere videamur, quos componere juvat.
*Quæ assumuntur ab hominibus Alimenta (sive petantur ex Re-
gno Vegetabili, quo grana in primis spectant ex quibus panis
conficitur; sive ex Regno Animali fuerint) scatent mucō quo-
dam glutinoso, in quem Succus alibilis mora aut vitio suo tan-
dem sponte degenerat: quamvis abhinc haud statim pro pe-
nitus inutili, aut valde noxio, sit habendus. Huic color plus
minus albicans adeo est proprius, ut quando ipsi permittitur
sui juris esse, quod fit in concretorum simplici dissolutione,
semper sub cinerea, aut certe ad albedinem declinante, forma
compareat. Observent modo qui de hoc muco dubitant, quod
tam in regno vegetabili quam animali undique adsit, situ
corruptos panes, muscum in lignis fatiscentibus, ligna ipsa
humi putrescentia, carnes mucescentes & imo, ne quid dis-
simulemus, pus ex ulceribus profluens. Ast! quando major
muci supra memorati confluxus & copia, quam subactionis in
Ventriculo tempore? Mittit illum caput, mandant fauces,
stillat Oesophagus, Ventriculus ipse sibi ipsius quantitatem ex
parietibus suis instillari gaudet, &c. cum hoc se sociat qui ex
alimentis sub prælo Subactionis discontinuatis libertati vindi-
catur. Majorem jam liquidorum partem Mucosa hæc consti-
tuunt*

tuunt. Viscofo ergo & mucido pallio suo reliqua contenta involvunt, quæ cineraceum vestitum inde referunt. Quibus hæc nostræ pacis conditiones non arrident, hos, ut breves simus, alegandos esse judicamus ad molas papyraceas, ut videant, quomodo inter linnea diversi coloris, alveis inclusa, conveniat; nec enim horum productum, nisi homogeneum, appareat. Quibus autem inter dissentientes mite ac tractabile ingenium, hos admodum in sententia nostra confirmari posse confitemur, si ad imitationem *Langii in Oper. Medic. part. I. p. 84.* Veficæ bubulæ, prævia tamen comminuitione, masticationi analoga, incluserint panem, aquam, olera, & affuso potulento quodam, sive aqua, sive vinum, sive cerevisia fuerit perinde est, illam vinculo probe constrictam manibus per tempus non a deo longum pinsendo agitaverint. Observabunt, citra aliam subfidiariam operam, inclusa abiisse in pultem, qualem chymus ab ventriculi actione refert.

§. VII. Progredimur ad ætiologiam Problematis non minus vexati, & quod vix ullus ausus fuit citra Facultatis vel Spirituum allegationem solvere; quamvis undique Petitio principii obſtiterit. Relatum illud à nobis est in *Cap. II. p. 8.* ac huc redit, quod *negotium chylificationis diversa fata experiantur pro modulo Affectuum qui illo tempore regnant, quo alimenta in ventriculo detinentur.* Observamus hanc differentiam ab animi indeole dependentem, non magis in Ventriculi actione conspicuum esse, quam in reliquis actionibus microcosmicas, ad vitæ perennitatem pertinentibus. Haud abhinc aliam excogitandam esse rationem judicamus, ac quam insimul omnis illa differentia admittit. Reposita vero hæc est in majori vel minori cura quam sui corporis ergo Principium Vitale habet, & quam moderat major vel minor utilitas, (vera an ficta sit? jam non inquiremus) quam ex objectis sperat. Objecta grata si fuerint, cum horum admissione, nil magis convenit, quam ut humoribus in corpore liberior accessus undique pateat. Testimonia sunt color faciei vividior, pulsusve arteriarum intensior; sin Eadem fuerint ingrata, aversionem illorundem excipi-

pit fluidorum in corpore segnities, facies ergo tristis, pallida pulsus vero parvus, tardus ac langvidus. Varietas hæc quæ aliquando per momenta obtinet, non alio instrumento perficitur quam partium fibrosarum, Cor & sibi socios musculos, componentium, intensiori motu aut apparatu debilius. Idem de ciborum subactione in ventriculo, respectu diversæ indolis animæ, statuendum. Quando animus gaudet, tempore illo, quo ventriculi languor tardum parare possit, acceleratur motus ventriculi proprius, ut hoc arceatur; sin animus demissus, sub totius œconomia Vitalis langvore, langvent & hæc fibræ; tardius vero citatæ, tardiorem effectum inferunt.

§. VIII. Quæ adhuc afferri possent Problemata, ad evincendum modum Subactionis præ omnium aliis appropiatum magis esse & dignum ut illi subscribamus, v. g. quare *Ventriculus in Bibacibus magis quam Comedonibus extendatur?* Quare ex inedia protracta in arctius spatium coeat? Quare pro rugarum majori vel minori apparatu, ciborum discontinuatio quoque variet? &c. studio omittimus, tum ut Lectori otium relinquamus, quo ipse in his se exercendo veritatem allatorum intelligat; qvum, quia ex facta superiorum Problematum resolutione sponte fluunt quæ addi possint; ne videamur Volumen loco Disputationis conscribere, merito ab illis nos revocari patimur.

CAPUT V. *Dubia quædam solvit*



§. I.

Ela prævisa, ajunt, minus nocere; Tentabimus ergo occurrere dubiis quæ huic nostræ Comparationi formari posse intelligimus. Exspectamus vero illa magis ab His qvos vel præconceptæ opiniones, vel nudæ speculations, delectant, quam quibus animus est, quo intime agnoscant modos rerum, linquere paulisper, qvam deperiunt

periunt Philosophiam & allatorum examen, Organismo Mechanismum semper manuducente, instituere.

§. II. *Novam*, Nonnulli appellabunt, *banc Hypothesin*, explicare velle Chylificationis modum per modum Subactionis; jam satis se exercuisse Antecessores, ut Methodum invenirent in qua acquiescerent; Notioni Fermentationis, pro classica habenda, esse subscriptendum; Novas Sententias confundere magis quam instruere; Metendum esse, ne penitus Scientia, tam gratiofa ac Medica est, corruat, dum Quivis circa Fundamenta quedam moliatur; Nisi tandem de Formula Concordiae, qua Theologi se norunt constringere, inter Medicos quoque conveniat. Lubenter & ultro confitemur, non ex Africa tot nova exspectari posse, quam Studium Medicum & protulit & quotidie profert; ut abhinc non parum Scommatum Ars, ceteroquin fida & necessaria, inde retulerit; nec libera esse possit, quin Relationes Publicae, de illius incertitudine, aliquando moneant. Ast! an ipsius Artis culpa? an non ipso rum, qui, dum ejus Amasios se profitentur, Artem Medicam pro Prostibula habent, quæ cujuscunq; Philosophi iectus debeat absorbere? Aurea illa regula, *Medicus Philosophus*, ιωθεος: ferreos peperit Medicos, qui, quam didicerunt Philosophiam, ad hujus modulum volunt medicam scientiam, velit nolit, incedere & saltare debere. Formulam Concordiae Summus & Sapientissimus CREATOR Medicis tradidit digito suo omnipotente conscriptam, quando Corpus humanum tam concinnatam congrue construxit, ut, qui vel solam amicitiam, qua Membra & Viscera Corporis humani inter se vivunt, qua hoc Viscus supplet illius defectum, alterum subvenit hujus necessitatibus, velit ruminari, per totam vitam habeat, in quo se oblectando exerceat. Huic qui devote subscribunt, qui ad illius normam loquuntur, seposita omni novaturiendi vel gloriae propriæ vanæ cupidine, non erunt tam discordes, sed Seges tot contentionum huc usq; nimis fertilis, quamvis sterilem avenam lolumque ferat, marcida corruet. Si quid novi nostræ huic Meditationi ineft (conf. §. 3.) in hoc omne erit collocatum, ut moncamus, ex illis, quæ unusquisq; in se ipso observat & in aliis constanter fuisse observata certo novit, quam distinctus conceptus fluat, de Modo Chylificationis.

§. III. Ceu vero Judicia variare solent; non deerunt qui nostrum laborem referent ad obsoletos, & jam dudum vixisse affirmabunt, qui buc collimaverint, in explicanda Chylificatione; nec ergo quid novi afferre. Non est ut cum His ferram altercationis trahamus, qui in Præfatione jamdum Alios sumus adhortati, ut, latentem sub densa opinionum caligine veritatem, in lucem proferre nobiscum allaborent: Plauderemus quoque si consentirent Illi, οἱ δοκιγνοτες σύλοι εἶναι. Hoc tamen Nobis concederint, speramus, *Vestigia Antecessorum* huc contendentium, aut, ut scapham scapham dicamus, vestigia unius *Erasistrati* fuisse à Successoribus in hunc usque diem, quantum nobis constat, aut inversa, aut spreta, aut minus sufficientibus habita, quæ Aliquem possent in veritatem actionis Ventriculi ducere. Ipsa Crudelitas memoratum Virum (qui vixit Seculo ante Natum *Christum*) informaverat, ut cum incidendo nocentes homines, à Regibus ex carcere acceptos, consideraret, etiamnum spiritu remeante, ea, quæ Natura antea clausisset eorumque posituram, figuram, duritiem, mollitiem &c. ac conspiceret Ventriculi motum ab assumptionis cibis, hunc motum alios docuerit & monuerit Ventriculum περισάλλειν, hinc concluderit tali motu cibos in ventre, ceu attritione, solvi. Doctrina hæc deferebatur ad *Galenum*, (qui vixit seculo II. à *Christo* nato) sed quia Philosophia, quam imbutus erat, omnes Actiones in corpore tribuebat *Facultatibus*, & vero *Hippocratis* sententia de *Coctione* ciborum æque invaluerat, simplex hoc assertum de motu peristaltico, fuit in περισαλληκήν κίνησιν mutata, sive motum circumpressivum, Scholæve Medicæ istam non differre voluerunt à δυνάμει καθεκλικῆ i.e. Facultate retentrice. Observare hinc quoque est quod Verba Galeni de *Uf. part. Lib. IV. cap. 7.* Ventriculum συναγαγεῖν πανταχόθεν καὶ συστέρεα, καὶ περισέλλειν τοῖς ἐνυπάρχοσι in se clara & quæ sapiunt doctrinam *Erasistrati*, Interpretes, Philosophia illius Ævi occœcati, de *Coctione* acceperint. Occidit hinc ea de motu Ventriculi Sententia, & huic Lebetis mansit officium, qui circumcirca Visceribus, ut sibi calor constaret, vallatus, contineret, quæ in ipso concoquerentur, Alimenta. Abhinc quoque est, quamvis nonnulli Galeni Sectatores voces has

has περισέλλαν, περισαλπίκως κινέαδη, servaverint, his significaverint solum complexum Ventriculi & hujus stricturam in cibos. Quo magis vero ad nostra tempora perventum, eo minus de motu Ventriculi fuit cogitatum. Doctrinæ de Fermentatione, cui tribuebatur Chylificatio, omnino hic motus obstat; illa enim quietem vasis desiderat, in qua obtinere debet. Extractionem, quām Alii eligebant in explicando negotio Chylificationis, in Vase quieto melius obtinere, pariter in confesso erat. Paucissimi Recentiorum ad Motum illum denuo attentes, aut conferre dixerunt successivam illius contractionem ad expellendum Chylum è Ventriculo; vid. Zypæus in Fundam. Med. Part. II. cap. 3. Art. 3. Wedelius Physiol. Med. Sect. III. cap. 10. Lister. de humor. c. 18. aut voluerunt adjuvantem solum causam esse, cui tamen ipsi Lympha stomachalis, sive Fermentum Ventriculi, longe sit præferendum. vid. Luc. Anton. Portius in Opuscul. var. Neapol. 1701. edit. Major in disp. de Ærumn. Gigant. Ortlob. in Hist. part. p. 47. Berg. de Nat. Hum. Cap. VII. p. 123. Lang. Oper. Medic. Part. I. p. 88. Quæ ex Recentioribus Peyerus, Leuenbokius & Pitkäraius de illo sentiant, comperire huc usque nobis haud licuit, præter quod illos tanquam Erasistratis novos Discipulos alleget Langius l. c. Quando præterea res ipsa loquitur, Physiologos recentiores ne quidem Observationibus undique obviis & cum studio consignatis (v. gr. Pisces minores ab aliis rapacibus deglutitos, qua herent in stomacho, quoad exteriorem superficiem, id est, squamas, prius resolvi & posthac demum quoad interiora; quod Moneta à Gallo gallinaceo deglutita, solum quoad externam faciem, qua stomachi tunica tangi potuit, fuerit detrita, (vid. Thom. Corn. Consentinus in Progymn. VI. p. 225.) quod Rana à Serpentibus deglutite, qua parte ventriculo fuerint immersæ una cum portione officuli in liquamen resolutæ, (vid. Brunerus Diatr. de Lymph. & us. Pancr. cap. 4.) potuisse induci, ut, reliæta de fermenti activitate hypothesi, ad motum ventriculi hujusque vires in subigendo respexerint; largientur nobis Omnes, si dixerimus, nos Actionem, pro derelicto habitam, ad Animum revocando & demonstrando, quam modus Subactionis hic valeat, non penitus nihil novi egisse.

§. IV. Nec tamen plura de ipsis meminerimus. Devolvimur ad Dubium quod sententiam allatam de motu ventriculi subactorio si non penitus conculcare, infringere tamen, videri possit; *dum prius et forent lasiones Ventriculi expectande, quot Submissiones laterum ejus, quam Subactio obtineat, præsertim si duriora quedam assumpta fuerint.* Quod vero non modo ossa vel Nuclei fructuum concredantur huic alimentorum Receptaculo, sed aciculae, clavi ferrei, acus ænea, &c. aliquando intraverint, legere est in Observationibus: citra vel adeo insignem noxam in hoc Viscere, vel Sanitatis grave detrimentum. Habent quidem, fatemur, qui pro Coctione, vel Fermentatione, vel Emulsione, vel Extractione faciunt, ad modum Chylificationis determinandum, ut hîc se exerceant: Nobis facile est intelligere quare non lœdant? quia modo dicta gravitate sua, ventriculi fundum magis petunt, nec laterum collisioni adeo exposita sunt, quam in ore dentibus probe contrita & in liquamen fluidius solubilia. Accedit Mucus & ab hoc oriunda lœvitas in interna Ventriculi superficie, qua eliditur lœsio, ab acumine memoratarum rerum, exspectanda. Huc respexisse etiam videntur, qui, à deglutitionis istis rebus in consilium vocati, commendarunt Decocta glutinosa. Nec tamen æque Observations desunt, Deglutitionem istarum rerum gravissima mala esse infecuta: v. g. dolores acutissimos, ulceræ Ventriculi diurna, imo perforationes Ventriculi. Citius tamen hoc, si gravior Ventriculi concussio à Laboribus gravioribus, vel ipsa Inversio à datis Vomitoriis, ut iterum excludantur, fuerit suscepta & hinc allatio Laterum fuerit inevitabilis.

§. V. Ex modo allatis pariter constat, quid valeat Horum objectio, qui minus commode motum Ventriculi ad modum Subactionis describi posse instabunt, quod ad Subactionem impetuosius requiratur motus, ast in Ventriculo motus sit admodum placidus & ad lumbricorum gressum blande compositus? Nam manet citra hesitationem verum, variare illum impetum pro necessitate rerum subigendarum. Nec farina in panem pilo cogitur; nec ad linteas in papyrus redigenda manus sufficiunt. Sicubi Masticatio in ore, quod suarum partium est, expleverit, nec dimiserit

miserit Cibos citra concisionem, diffractionem, contusionem pro horum qualitate, necessariam, memorato illo Motu peristaltico proprio, & adventitio illo jugi, Subactio illa juste, quamvis leniter, absolvitur. Nec vero est, ut multis moneamus, quid blandus Motus, modo continuetur, in corpora compacta valeat. Videre enim est in cælatis manubriis cultrorum quæ digitorum contactus levat: item in cochlearibus argenteis, quibus juscule capimus, quam Labiorum usu consumantur.

S. V. Supereft ut audiamus & hos, *Qui, quam videantur bene sentire de motu Ventriculi, nec tamen huic soli tribui posse monebunt Ciborum traditorum redactionem in liquamen;* Alios ergo Operationum modos illi esse jungendos; Non frusta Salivam tam sollicite cibis misceri in ore hosq; comitari in Ventriculum, ac quod illi debeantur vires egregiae in negotio Chylificationis, ex quo etiam titulum Fermenti, Menstrui animalis, solventis Catbolici obtinuerit &c. Non est, quin inter nos conveniat: modo patienter ferent, ut præmittamus, quæ sentiamus de combinatione talismodi Comparisonum. Binas scaturigines illius observamus. *Altera est innata,* intimius Actiones intelligendi, Lubido, quæ laude sua adeo non privanda, ut omnibus potius sit deprædicanda, quandoquidem confert ad *Hunc* deamandum, qui Hominem intelligere voluit. Ait, ceu morbum à Peccato contraxit, quid in homine est, Lubido illa intelligendi, jam non amat actiones nosse, quo simplici modo fiunt, *Denn das Fâme gar zu einfâltig heraus;* sed inquirere annon quid contineant sublimioris Philosophiæ, & quod splendorem majorem illis addere possit? Quandoquidem vero in illis reperire talia non licuit, ex aliis Disciplinis Copiæ sunt conscriptæ, quæ oppugnando illam Simplicitatem, aut veteres migrare justerunt de Actionibus illis conceptus, aut tam peregrino vestitu hos induxerunt, ut dignoscere illos, nec olim familiarissimo, amplius liceat. *Altera est Matrimonium Medicinæ cum Chymia.* Ab illo enim tempore, quo hæc Ancilla Medicinæ nupsit, Dominæ instar disposuit de omnibus rebus medicis, nec quidquam voluit in Microcosmo fieri, cuius vel non sit Autor; vel in quo non

novam consilium suggerat; vel si aliter nequit, Tentationem contrariæ Voluntatis interponat. An vero Creaturam decet, qua simplici methodo sapientissimus *Fabricator* voluit in contextu Corporis humani & hujus conservatione incedere, suis additamentis, quia hæc speciosiorem illam reddere videntur, succurrere, aut quovis alio modo offundere tenebras, ne Simplicitas conficeretur? Veritatem jam Antiqui dixerunt, quod nuda esset, minus placere. Habet simplex Artificium, quo Actiones Microcosmicæ fiunt, tantam Sapientiam in se reconditam, ut qui illas, relegata modo vana inclarescendi gloria, sancte contemplatur, dubitet, an rimari, vel mirari istas magis debeat! Parili modo se habet Modus Subactionis in Ventriculo. Nulla necessitas jubet subvenire illi per modum *Fermentationis*, *Extractionis*, *Coctionis*, *Putrefactionis* &c. aut omnium simul; quandoquidem omnia Phœnomena satis congrue ex illo solo fluunt. *Salivæ* accessum (ceu in antecedentibus retulimus) necessarium in Masticatione, imo in Ventriculo & in ipso Sangvine gratum ultro confitemur; Ast, Proxeneta est, qui Hospites non modo in ostio recipit, sed ut his cum Ventriculo non modo sed & cum Sangvine conveniat, saviter curat. Sigillum confert, ut, quæ ex regno vegetabili cedere debent in nutrimentum Animalis, hunc finem obtineant. Qualem vero (si Chymiam velis) quam saponariam in illa quæsiveris virtutem, qua cibis sub motu ventriculi discontinatis, Harmonia paratur, ut oleosis cum aqueis sit firmius Connubium? Ceu ergo Modus Subactionis ad ciborum in Ventriculo Metamorphosin clare & distincte intelligendam sufficit, pariter, quæ de illo hactenus allata sunt, sufficient.

Eπιμετρον.

Dum Colophonem imponimus his nostris Meditationibus de Subactione, legimus in Act. Eruditor. A. 1713. p. 556. fieri mentionem *D. Hecqueti*, Medici Parisiensis, item ib. A. 1714. p. 477. Scoti *Pirkarnii*, quorum ille simplici *Triturationi*, hic *Digestioni*, alimentorum in ventre dissolutionem tribuat, uterque tamen efficaciaz motus Ventriculi illam adscribat. Gratulabimur ergo nobis, si quando Tractatus ipsos evolvendo nos confirmari in nostra sententia comperiemus.

